



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

I. Vt indignus nullus efficiatur episcopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

cem, ianitores esse illius ostii, de quo Christus Ioannis c. 10. *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur.* Et rursus: *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Legitime igitur ingrediuntur ecclesiam, quibus tantus ianitor aperuerit: legitime excluduntur, quibus idem fores occluserit.

ricium Ianitorem ecclesie vocant.

• EPISTOLA III.
SIRICII PAPÆ
AD VNIVERSOS ORTHODOXOS.

- I. *Vt indignus nullus efficiatur episcopus.* III. *Vt neophyti vel laici, sacerdotes non fiant.*
II. *Vt ignotis sacerdotium non*

Siricius papa, orthodoxis per diuersas prouincias.

I.

COGITANTIBVS nobis merum diuini iudicii, fratres carissimi, & post hanc vitam vnumquemque, prout gesserit, recepturum: quid in querelam veniat, tacere non licuit, sed nobis loqui necessitas imperauit, dicente propheta: *Exalta vt tuba vocem tuam.* Et cui omnium ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam, domino dicente: *Reiicite mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis.* Quid enim aliud est reiicere mandatum Dei, quam priuato iudicio & humano consilio nouis rebus constituendis liberius delectari? Perlatum itaque est ad conscientiam apostolicæ sedis, contra ecclesiasticum Canonem præsumi, & quæ ita sunt a maioribus ordinata, vt ne vel leui fufurro debeant violari, proprias quosdam obseruationes nouas inducere, & prætermisso fundamento, supra arenam vel le construere, dicente Domino: *Non transibis terminos, quos constituerunt patres tui.* Quod & sanctus quoque Apostolus, noui & veteris testamenti prædicator, monet, in quo locutus est Christus: *State, inquit, & tenete traditiones vestras, quas didicistis, siue per verbum, siue per epistolam.* Quare videt vestra sinceritas, in sacris ministeriis aut in ordinationibus vestris, quantum sacerdotum magna cura & diligens sollicitudo debeat obseruari. Denique ad Timotheum loquitur: *Manus cito nemini imposueris, neque commutaueris peccatis alienis.* Quod propterea memoratur, vt examine habito, & probitate morum & ecclesiastico la-

Isa. 58.

Matth. 23.
Marc. 7.

Dent. 19.
& ibid. 27.

Prou. 22.

2. Theff. 1.

1. Tim. 5.

bore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut summum sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, non favore: susceptus veritate, non gratia: apostolico ordine * functus, non precipiti voluntate. De quo, carissimi, mihi ante vestram sinceritatem huiusmodi literæ cucurrerunt, multo fratrum & confacerdotum consensu, ut hac vestra subscriptione firmata ecclesiastica Canonis dispositio, quæ apud Nicæam tractata * est, confirmata, suo merito fundatissima permaneret: ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas iubet, non quales dico, vel eos, qui cingulo militiæ sæcularis adstricti, olim gloriati sunt. Qui posteaquam pompa sæculari exultauerunt, aut negotiis reipublicæ optauerunt militare, aut mundi curam tractare, adhibita sibi quorundam manu, & proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut episcopi esse possint, qui per traditionem & euangelicam disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus? Sed nihil tale potuit elici, quæ ratio non compellit. Etiam de longinquo veniant ordinandi, ut digni possint & plebis & nostro iudicio comprobari.

I I.

* Quantum illicitum sit illud, æstimari non potest, ut transeuntes (sive simulent, sive sint monachi, quod se appellant, quorum nec vitam possumus scire, nec baptismum: quorum fidem incognitam habemus, nec probatam) nolint sumptibus adiuuare, sed statim aut diaconos facere, aut presbyteros ordinare festinent, aut quod est grauius, episcopos constituere non formident. Carius apud illos, dari sumptum transeunti, quam sacerdotium non retento. Inde in superbiam exaltantur, inde insuper ad perfidiam cito corruunt, quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini * discere non asseruntur.

I I I.

Certe illud etiam non fuit prætermittendum, ut quod semel aut secundo necessitas hæreticorum intulit, contra apostolica præcepta, velut lege licitum, * præsumi, neophytum vel laicum, qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinare: quasi meliores apostolis sint, quorum audeant mutare

1. Tim. 3.